

vel munus tradatur D. Ascanio. Genera Animalium in usum prælectionum divulgare incoepi, quamprimum perfectum fuerit opusculum illud mittam.

Nuperrime pisces descripsi è Nordlandia allatum 5 pedd. long: & $\frac{1}{2}$ ped: lat: Corpore compresso argenteo, pinna dorsali continua, abdominali vel anali nulla. Sub pectoralibus loco ventralium aderat utrinque radius 2 pedd: circiter longitudine apice dilatato membranaceo. Iconem confeci qualem potui, quam una cum descriptione transmittam pro actis forte Vestris.

En pauca Tibi oblata Insecta, quæ circumscriptum tempus & instans amicorum iter seponere permisit. D^{nus} Drury Anglus insecta & icones divulgavit sed nondum mihi visa. Si quædam inter mea nova sunt Tibi nondum visa, gratum mihi id erit, qui semper Tibi Tuisque laboribus sim addictus & maneam. Vale Vir amicissime & hæc raptim congesta pro solito favore ut excuses rogo.

Dabam Hafniæ d. 4 Maji 1771.

a Monsieur Mons^r Charles de Linné Medecin premier du Roi, Professeur Docteur & Membre de tous les Societes illustres d'Europe a Upsala.

(51) Viro Perillustri & Celeberrimo

DD Carolo à Linné

Equiti de Stella Polari

S. pl. d.

Brünnichius.

Tuas d. 24. Decembris datas rite accepi sed jam prima se offert occasio mittendi Fundamenta mea Zoologica, quæ opto hand indigna in Sacrario Naturæ oblata munera. Quæ bona invenies Tuis debeo, ceterum compendium est juxta quod in prælectionibus meis procedam. Erroribus haud est immune, defectibus laborat, ideoque suo Auctori simillimum opusculum; forte restaurabit tempus omnia, in tantum itaque ignoscas rogo. Naturæ gazas, olim in arce Charlottenburgensi,